



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Eichenbrunnum, Eichenbrun/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

14. *D. Elisabetha*, ab Heimhofen, patre Joanne nata, præfuit annis 34. Obiit anno Christi 1514. in vigilia inventæ Crucis.

15. *D. Beatrix*, à Waldkirch, Bernhardi à Waldkirch & Ulfæ à Schaumberg filia, præfuit 28. annis. Obiit anno Domini 1542. nona Junii.

16. *D. Regina* à Rorbach, Wolfgangi à Rorbach & Dorotheæ à Wildenwart laudatissima filia, insignis heroina, corporis & ingenii bonis præstantissima, eligitur anno Domini 1542. in vigilia S. Viti. Præest adhuc egregia laude ac virtute, currente hoc Jubilæo. Condidit egregiam domum, quam tali à me tetrasticho ornari voluit:

Has Regina no uas à Rorbach condidit aedes,

Anno, quo Paulus tertius occubuit.

Condidit has pro se laudabilis illa virago,

Proq, sequutura posteritate sua.

Habent in hoc ipso cœnobio reconditoria sua Nobiles à Schwenningen in cœmeterio, & Nobiles à Wisembach in templo primario, imprimis vero Hildebrandus à Wisembach, miles & Eques auratus, qui obiit anno Domini 1389. cujus uxor eodem loco sepulta est, Domina Guta de Baisweil.

EICHENBRUNNUM, *Eichenbrun*/ quasi Fons ad quercus situs, dictum cœnobium Benedictini ordinis magnificum in Suevia, extra muros Gundelfingiæ oppidi, inter Dantubium ac Brentium amnes situm, diceceseos Augustanæ, fundatum & extructum est in honorem S. Dei Apostolorum Petri & Pauli à Gumberto patre & Chunone filio, Dominis de Fackberg, sub Calisto II. Pont. Max. à quo fundatio hæc confirmata est anno Domini 1122. præfidente Godeboldo Abbate. De hac fundatione legitur ibi tale schediasma in templo, à me superioribus annis scriptum in gratiam Abbatis Martini Bucolini.

Gumbertus, miles generosus, frater Eejus

Chuno pius, sacram hanc constituere domum.

Cujus Chuno Abbas primus fuit, optimus heros,

Militia E generis nobilitate potens.

Ha

Hoc te Martinus Bucolinus, candidus Abbas,
 Scire etiam volui, lector amice, vale.
 Vive, Patremq; Deum pro nobis omnibus ora,
 Ut donet famulis tempora fausta suis.
 Omnibus hoc vobis etiam promittimus ipsi,
 Ser-vimus Domino qui sine fine Deo.

Benefecerunt huic cœnobio plurimum & habent in eo sua
 reconditoria nobiles viri, dicti Fetzeri Ockenhusenses, præcipue
 vero Gulielmus, perpetui inter alia ignis etiam fundator, de quo ignis per-
 tale ibi legitur à me olim compositum epigramma: petuus.

Perpetuum de dit hunc ignem celeberrimus heros,
 Nomine Fetzerus qui Gulielmus erat.
 Cujus prima fuit conjunx prænobilis, Anna,
 Niseriane ingens gloria lausq; domus.
 Altera Anastasis, Altheime pia gloria gentis,
 Quas Deus in placida pace cubare sinat.

Abbatibus, qui huic cœnobio præfuerunt ad hoc nostrum us- Series
 que seculum, hi recensentur. Abba-
 tum.

1. Chuno fundator & primus Abbas sui cœnobii, Domi-
 nus de Fachberg.

2. Goteboldus, accepit privilegium à Calixto II. Papa, an-
 no Domini 1122. quo anno subscripsit etiam foundationi Cæsari-
 ensi. Accepit privilegium ab Hermanno, Episcopo Augustano,
 anno 1125. Legitur adhuc præfuisse anno 1135.

3. Gebo. 9. Udalricus.

4. Idulphus. 10. Hartmannus.

5. Conradus. 11. Albertus.

6. Geringus. 12. Henricus.

7. Leonbardus. 13. Joannes.

8. Hermannus. 14. Waltherus.

15. Wilhelmus Rantzius.
 16. Ulricus Loeckberlinus, qui fieri fecit sedilia templi anno
 Domini 1468. restaurator collapsi per incendium monasterii de
 patrimonio sui facultatibus. Is permutationis tandem jure ve-
 nit ad Anhusensis monasterii, in Brentiana valle siti, gubernationem,

Handwritten notes on the flyleaf:
 ...
 Chronologia
 ...
 S. III



tionem, & in ejus locum ex Anhusio Abbas Martinus, qui fequitur.

17. *Martinus*, qui obiit secunda Junii anno Dominicæ incarnationis 1487.

18. *Joannes Cocus*, ex Blauburensi conventu assumptus, Abbas egregie doctus, resignavit anno 1499. Obiit anno 1517.

19. *Rudolphus Hamaxurgus*, in Württembergensi ducatu natus, & ex Anhusio Brentiano assumptus, præfuit administrator 18. annis, & Abbas itidem octodecim: assumptus in administratorem anno 1499. in Abbatem vero anno 1517. Obiit anno Christi 1535. Fuit vir doctus, consilio vero, autoritate & prudentia omnibus circumsitæ provinciæ Principibus quemadmodum utilis, ita etiam charissimus, œconomus optimus.

20. *Guilelmus Fuchsus*, Dillingensis, è S. Crucis Donawerdeni cœnobia accitus, eligitur anno Christi 1536. Præfuit 10. annis laudabiliter & utiliter. Obiit anno 1546. in die Antonii Ratisbonæ, ubi in cœnobia S. Emerani sepultus est. Fuit egregius illustrator & exædicator sui monasterii. Post hujus obitum vacabat sedes per annum integrum, propter Germanici belli tumultus, propter quos secesserant ejus loci incolæ in tutiorem locum.

21. *Martinus Bucolinus*, ex Wertingo Zufemiæ vallis oppidulo natus, eligitur anno Christi 1547. nona Martij, anno ætatis suæ 28. Præest adhuc feliciter currente hoc Jubilæo, homo afflicta quidem valetudine, sed humanitate & probis moribus nemini sui ordinis secundus.

ELCHINGUM, olim Aichlingum à vicino quercetu, prædonum aliquando castrum, sed nunc magnificum instituti & ordinis Divi Benedicti cœnobium Augustanæ diceceseos, infra Ulmam, Sueviæ metropolim, ad sinistram descendenti Danubii in sublimi monte (ex quo omnis Ulma & multa circumiacentia oppida, videlicet Gunsburgum, Leipheimium, Weissenhorna, & alia videri possunt) amenissimo loco situm, fundatum est anno Domini 1128. à Conrado, Duce Saxonie, & ejus uxore, Dom-